

comes de Zigenheyn⁷ Rhenum flumen transitori fracta navi, qua vehabantur, demergerentur et aquis praefocati interirent. O crudele mortis imperium. Qui olim solebant in sericis procedere induviis, iam miseri et inglorii volutabantur sub aquis. Et quod maxime dolendum est, improvisa mors irrumpens carnis habitaculum animas privavit sacrae confessionis et communionis saluberrimo remedio. Ob hoc devotus famulus Christi amore dei et paterna dilectione quasi duplici vinculo ligatus pro liberanda patris sui anima tam suas quam fratrum suorum orationes et missarum celebrationes devotas omnipotenti deo cottidie obtulit. Cor autem benignissimi Iesu oblatione sui sanguinis et lacrimosis his precibus motum est ad misericordiam et diuturnam poenam, quam defunctus olim meruit, non solum abbreviavit, sed etiam ei caeleste regnum condonavit. O quam magna est multitudo dulcedinis tuae, domine Iesu. Quod proprium est tibi, facere non desinis, quia semper misereris et parcis. Animam peccatoris a scoria peccati longo igne purgandam non solum a fornace incendii misericorditer extraxisti, verum etiam ad regnum patris tui feliciter transvexisti. Decurso igitur aliquanto tempore ab ea hora, qua pater Conradi calicem mortis degustavit, et adveniente illa felici hora, qua gratiam liberationis invenit, ipse dominus servo suo devotius oranti hanc horam ante denunciavit dicens: „Modo“, inquit, „exaudita est oratio tua et anima patris tui hodie a poenis liberanda. Festina“, inquit, „festina et redde altissimo laudes et gratiarum actiones pro tanto beneficio. Dic etiam amicis tuis, ut tuo voto succurrant orationum suarum suffragio, ut multiplicata magis acceptetur gratiarum actio. Gratissimum est“, inquit, „in oculis meis, multiplicare grates pro acceptis beneficiis.“

Cap. 14 [De sepultura patris beati Conradi]

Praedictis pauca adhuc de sepultura patris sui adiicienda sunt, quia ipsa laudem dei et virtutem servi redolent. Sicut praefati sumus, pater Conradi et quidam comes de Zigenhein praedicti in flumine Rheni fracta navi submersi sunt et improvisa morte praeventi. Annuente tamen domino corpora utriusque eorum sub sabulo inventa solenni domo monasterio Eberbacensi ordinis Cisterciensis fuerunt advecta et ibidem honorifice sepulturae ecclesiasticae tradita. Corpora istorum

7) Vermutlich Graf Gottfried (II.) von Ziegenhain, der am 5. Juni 1207 im Rhein ertrank. Vgl. *Chroniken des Wigand Gerstenberg* (wie S. 16 Anm. 3) S. 236 mit Anm. 9; Gustav SCHENK ZU SCHWEINSBERG, *Beiträge zur Genealogie der Grafen von Reichenbach-Ziegenhain*, in: *Korrespondenzblatt des Gesamtvereins der deutschen Geschichts- und Altertumsvereine* 22 (1874) S. 34-36.